



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Legio vigesima.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

A lata, quippe nunc Aphrodisias, nunc Soroniam, nunc Apollonias, & Anthanis. Peloponnesiacam autem hic intelligo: nam alia est omnino Træzen juxta Massiliam, quæ pertinet ad Italiam, à qua provincia etiam ipsa Træzenis olim nuncupata. Sed, ut ad priorem revertamur, Pausanias Palladem & Neptunum de regione ea certamen iniisse tradit: pugnam Jovis sententia diremptam, qui regionem communem utriq; eorum esse sanxerit: eaque de causa Palladem apud ipsos *Παλλάδα* & Neptunum *Βασιλέα*, esseq; in eorum numis una parte tridentem, in altera autem Palladis ipsius caput.

MANTINEA. CAP. XI.

IN Mantineensium etiam scutis tridens signatus erat, quare ejus urbis civis per gestamen id cognoscebatur, ut est apud Pindarum.

LEGIO VIGESIMA. CAP. XII.

SPectare est Brixæ antiquo in monumento tridentem in insignium quorundam militarium medio positum, in candelabri quodammodo speciem figuratum, supra quem literæ sunt. LEG. XX. Inscriptio est, quæ Lucium Antonium Pa. Quadratum in torquibus & armiliis à Tito Cæsare bis donatum indicet.

DE ARATRO. CAP. XIII.

Tanta fuit olim agriculturæ reverentia, tantusque honor illi semper habitus, ut veteres scepra Regia in Aratri formam effigiant, quo & ipsi quoque Sacerdotes perinde ac Reges utebantur.

SCEPRUM REGIUM.



DEMOLITIO. CAP. XIV.

Circumducendi vero aratri observatio non in condendis tantam urbibus reperitur, verum etiam in evertendis delendisq; Quare illud apud Modestinum Digest. lib. vii. tit. Quibus modis &c. observandum, *Aratro in civitatem indulto, civitas esse desinit*, ut passa est Carthago. Eoque spectat Horatianum illud primo Carminum.

*Imprimeretque muris
Hostile aratrum exercitus insolens.*

Et secunda Philippica M. Tullius: *Ut vexillum videres, & aratrum circumduces, cujus quidem vomere portam Capua penè perstrinxisti.*

AGRICULTURA. CAP. XV.

Nimirum etiam est aratrum agriculturæ frumentariique proventus, signum, ut in numo argenteo cernere est, cujus inscriptio est ab occipito, *SCRIPTO IMP.* cujus caput Elephantino est insigne spica, quod dubio procul Africanum signat: inferne aratrum pulcherrimè factum. Ante faciem spica, inde literæ, *Q. METELLUS*, Ab altera facie sigillum nudum, cujus dextera innititur femori, lana supra magnam spicam toto brachio exporrigitur: literæ hinc, *REG. F.* inde, *EP. IUS*. De frumentaria vero Africa feracitate alibi saepe dictum. Quod vero Propheta olim dixerunt, *Ex Sion profertur lex, & verbum Domini de Hierusalem, corrigetq; vim magnam populorum, ut concidant gladios suos in aratru, frumetas suas in falces*, Irenæus lib. in Valentinum quarto, pacificum Christi dogma præmonstrasse tradit. Christiana igitur institutio ad pacem, ad concordiam, ad unanimitatem comparata est. At quo nos decidimus? quæ nobis tempora destinata sunt? quibus quæ plurima tam publice quam privatim Christianis accidant mala, non aliunde sint, quam & ipsis Christianis.

*Scipionis
Africani
numus.
Pacis omnia
enim Christi
salutat
suos, nihil
illius præter
pacis donat
& relinquunt
Christo
nato canunt
Angeli.
Aratrum in
sacris quid.*